



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XVII. De officio iudicis ordinarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

rum parochialium actum fuerit, esse irritum ipso iure. XV.

De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.

Gregorius decimus in generali Concilio Lugdunensi. Eos qui clericos parochiæ alienæ absque superioris ordinandorum licentia scienter seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito, præsumperint ordinare, per annum a collatione ordinum decernimus esse suspensos; iis quæ iura statuunt contra taliter ordinatos in suo robore duraturis. Clericis quoque parochiæ taliter suspensorum, postquam eorum suspensio fuerit manifesta, absque ipsorum etiam licentia, interim recipiendi ordines ab aliis vicinis episcopis, alias tamen canonice, liberam concedimus facultatem.

XVI.

De bigamis.

Gregorius decimus in generali Concilio Lugdunensi. Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculo decidentis, bigamos omni priuilegio clericali declaramus esse nudatos, & coercitioni fori sæcularis addictos; consuetudine contraria non obstante. Iphis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram vel habitum clericalem.

XVII.

De officio iudicis ordinarii.

Gregorius decimus in generali Concilio Lugdunensi. Si canonici a diuinis cessare voluerint, prout in ecclesiis aliquibus sibi ex consuetudine vel alias vindicant, antequam ad cessationem hu-

ANNO
 CHRISTI
 1174

iusmodi quoquomodo procedant, in instrumen-
 to publico, vel patentibus literis sigillorum suo-
 rum aut alterius authentici munimine roboratis,
 cessationis ipsius causam exprimant, & illud,
 vel illas ei, contra quem cessare intendunt, assi-
 gnent. Scituri, quod si hoc prætermisso cessaue-
 rint, vel causa, quam expresserint, non fuerit in-
 uenta canonica, omnia, quæ de quibuscumque
 prouentibus illius ecclesiæ, in qua cessatum fuerit,
 cessationis tempore perceperunt, restituent. Illa
 vero, quæ pro eodem tempore debentur eisdem,
 nullo modo percipient, sed ipsi ecclesiæ cedere, ac
 nihilo minus ei, contra quem cessauerant, de dam-
 nis & iniuriis satisfacere tenebuntur. Si autem
 causa eadem canonica fuerit iudicata, is qui occa-
 sionem cessationi dederat, ad omne interesse di-
 ctis canonicis, & ecclesiæ, cui debitum officium
 eius est culpa subtractum, ad certam quantitatem
 taxandam, & in diuini cultus augmentum conuer-
 tendam, superioris arbitrio condemnetur. Cete-
 rum detestabilem abusum horrendæ indeuotionis
 illorum, qui Crucis, beatæ Virginis, aliorumve san-
 ctorum imagines, seu statuas irreuerenti ausu tra-
 ctantes, eas in aggrauationem cessationis huius-
 modi prosternunt in terram, vrticis spinisque sup-
 ponunt, penitus reprobantes, aliquid tale de ce-
 tero fieri districtius prohibemus. Statuentes vt in
 eos qui contra fecerint vltrix procedat dura senten-
 tia: quæ delinquentes sic grauiter puniat, quod
 alios a similibus præsumptione compescat.